

10
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DN.

FRIDERICO,
BOHEMIÆ REGI

INCLUTO;

COMITI PALATINO RHENI;

S. R. IMPERI ARCHIDAPIFERO,

ELECTORI, VICARIO;

UTR. BAVARIÆ ET SILESIÆ

DUCI;

MORAVIÆ AC LUSATIÆ

MARCHIONI;

Principi Sapientissimo, Fortissimo,

Piissimo,

SILESIAM

in eaq; Metropolin

VRATISLAVIAM

HomagI accipiendi ergò

feliciter ingredienti,

humillimâ adclamatione,

gratulatur

CASPAR. CUNRADUS

Phil. & Med. D.

A. C. clō lōc XX.

10
DIVO FRIDERICO I.

REGI BOHEMIÆ SERENIS°.

Potentis°.

PATRI PATRIÆ

Gratiosus°. Fidis°.

Religionis Vindici

Fortis°.

Libertatis Adsertori

FeliciS°.

DOMINO SUO

Clementis°.

E *T* fas est pia votatibi, REX inclute, ferre,
Et numeris aditum concelebrare tuum;

Unanimi dum quadruplicis tibi nomine gentis,

Cum Regno & populis Boema Corona datur.

Dum Mortuos visens, submissi pectoris arrham

Accipis, & fidam dasq; capisq; fidem.

Elysi dum contendens ad pingvia campi

Jugera, Principibus Te Statibusq; datas.

O faustum te REGE solum! te PATRE Clientes!

Qui dedunt jussis subdita colla tuis.

Suscipe me minimum, REX Clementissime, Vernam,

Et devota mea suscipe vota lyra.

Sic faveat REGIS REGUM tibi gratia dia,

Atq; beet Regni sceptrum verenda tui.

Sic, uti salvus ades, salvus tua collige jura,

Et salvus Lusatos sic quovis vise tuos.

Sic visis Mortuis, Slesis, Lusatisq; dicatis,

Splendida Czechiaci tecta revise soli.

Sic salvus salvam REGINAM vise pientem;

Sicq; recens natum, REX pie, vise DUCEM.

A 2

Sic

SEBASTIANUS AC POTENTISSIMO



FRIDERICO

BOHEMIÆ REGI

COMITI PALATINO RHENI

S. R. IMPERII ARCHIDUCI

ILL. BAVARIAE ET SILESIAE



80041/3 Qst

Sic tibi dia SALUS faveat, REX maxime; sic te
Hostilis fugiat, nil noceatq;, manus.

AD DEUM OPT. MAX.
PRO FRIDERICO I. REGE
BOHEMIÆ GRATIOSISSIMO.

QVI Reges reprobas, qui transfers Regna JEHOVAH,
Regnorum & Regum Rex simul ac Dominus;
Adfere Bœmorum, contra ausa tyrannica, REGEM,
Atq;, tuâ stabili sceptrâ verenda manu.
Non Papa, non Papa manceps, non quidquid ab Orco
Pendet, & humane traditionis ope,
Te contra, Regemq;, tuum, populumq;, pusillum,
Quid pote, si Satana plena canisira vomat.
Nempe capisira manu jamdudum injecta potente,
Cum fremitu & gemitu gens ea tota terit.
Vivat REX nosler! vivat FRIDERICUS! ovetq;
Contra, illum contra qui mala, teq;, serunt.
In templis sic, JOVA, tuis Pax alma virebit;
Sic erit in nostris adibus alma quies.

SERENISSIMO FRIDERICO I. REGI
BOHEMIÆ, &c.

Cum Bœmis si fortè cati oculata fuere
Lumina seu Moravum, sive Silesiadum;
Nunc equidem (cor idem Lusatis) oculata fuere
Cum Bœmis Moravum Lumina & Elysidum;
Dum fasces, FRIDERICE, tibi, sceptrumq;, Bohemum
Votorum summâ contribuere pari.
Virtutum Oceanum concurrere scilicet in te
Hæc vidit simili juncta quadriga fide.
Es pius, es sapiens, es fortis, es inclutus, atq;
Ut clemens miseris, sic rigidusq;, malis.

Justitia

10
Justitia es Prasles; solidi defensor es æqui;
Sobrietatis avens, & probitatis amans,
Pacis es adsertor; bellorum insensus es hostis;
Pro grege justa tamen, legeq;, bella geris.
Religio inprimis cura tibi Biblide fulta:
Contra odio est, hominum traditione tumens.
Fers tamen, atq;, illi defers habitacula tuta,
Dum metas intra, pacis amica, manet.
Sic REX es Regno; Pater es sic Civibus; es sic
Dis tutando bonos, Dis tolerando malos.
Vive ô REX fortis! vive ô Pater inclute! Dis ô
Vive, & mortales vince favore Deos.

AD EUMDEM FRIDERICUM REGEM
BOHEMIÆ POTENTIS.

Publica quum Regem Te vox, FRIDERICE, referret,
Pugnarunt dubiâ Sol pluvieq;, vice.
Scilicet alternis adfectibus invicem agebant,
Quos manet imperii jusq;, thronusq;, tui.
Discussit nebulas, pluviosaq;, nubila Phæbus:
Te Duce nil discors; congrua quaq;, vigent.

AD JOVAM

Pro felici FRIDERICI I. REGIS BOHEMIÆ
Pientissimi Vratislaviam, adventu.

JOVA fave! FRIDERICUS ades!, REX optimus ille,
Qui parat adflictis addere rebus opem.
Cum Pietate Fides hunc stipat, & incluta Virtus;
Ponè serenatis Pax orat alma comis.
Ite procul, procul ite mina, furor, arma, necesq;:
Annihilant vestros JOVAq;, REXq;, dolos.

A3

DE

DE EJUSDEM
FRIDERICI I. REGIS GRATIOSISSIMI,
VRATISLAVIAM ADVENTU.

Annuit optatis JOVÆA potentia nostris;
Salvus & incolumis REX FRIDERICUS adest.
Dia Pronœa suo sic omnia porrò favore
Dirigat, & ceptis annuat alma piis.
Nomine ceu Pacis dives, re sic erit ille:
O Pax! ô nostro vita quieta solo.

DE EJUSDEM
EODEM FELICISSIMO
ADVENTU.

Quod bene vortat! obe Breslæam vixit ad Urbem.
Bœmo - Palatini saxq; jubarq; soli!
REX FRIDERICUS amor Pietatis; Pacis amator;
Gloria Virtutum; Gloria Pieridum.
Lætitia exsultent, quos luctus inante gravavit,
Proq; novo hoc DOMINO publica vota ferant.
Æstuet armorum strepitu Marvortia Erinnyis,
Et furias omnes è Phlegetonte trahat.
Quem DEUS elegit Regem, sceptroq; beavit,
Ejus & imperio fata secunda dabit.
Hoc vovet, hoc optat, BRESLA pius omnis in Urbe:
Cui mens est sequior, num pius esse queat?

AD BRESLAM PATRIAM
DE FRIDERICI I. REGIS FORTISSIMI
FELICISSIMO ADVENTU.

REX FRIDERICUS adest! jo! plaude Budorgis a-
Et resera portas lata libensq; tuas. (mœna!)
Namq; quod optatis vovisti pluribus antè,
Hoc cum REGE simul sistitur omne tibi.

Aurea

10
Aurea Libertas; Pax aurea, Relligioq;
Cum sancta heic ponent castra cupita Fide.
Turbonum procul esto cohors, procul esto vasorum,
Et qua candorem cetera monstra gravant.
Exsulet, invidia cum, diffidentia fallax,
Lingvaq; qua Satanâ progenerata patre.
Dulcis amor, sincera fides, mens congrua labris.
Dissona conjungent mutuitate novâ.
Urbis cum portis portas sic cordis apertas
Præbe adventanti, celsa BUDORGIS, HERO.
Sic externa domos Pax consociabit amœnè:
Sic animos intus consociabit amor.

DE
FRIDERICI I. REGIS GRATIOSISSIMI
faustissimo BRESLAM ingressu.

Plaudo, & laudo DEUM! BRESLAM REX inclutus intrat:
Adfulget nostris Sol novus ecce focus.
Horrida bellorum nox transit, horrida fraudum:
Discussis nebulis REX FRIDERICUS ovat.
Vana Superstitio cedit, ritusq; Papales:
Pristina Simplicitas, Relligioq; vigent.
Ite procul, Papa qui somnia vana morantes
Antiqua fugitis Relligionis opes.
Quàm procul à CHRISTO Papa cum glomeramine raso,
Tam procul à vero vos trahit ille bono.
Quisquiliis igitur missis Papalibus, Uncti
Vestri hujus comites cingite ponè latus.
Hoc duce Libertas vestris redit aurea templis,
Firmior & teneris mentibus esca patet.
Qui non convictu satiari discipit isto,
Ad Verum veram non habet ille famem.

DE

DE FRIDERICI I. BOHEMIÆ
Regis fortissimi Vratislaviæ ingreditur
VIADRUS.

MOEniadum BRESLÆ caro cum fratre salutat
Major honoratis REX FRIDERICUS Avis;
Adfurgens VIADRUS, cupidus tanti hospitis antè,
Fluctibus buc illuc luxuriosus, ait.
Quis novus hic nostras properat Neptunus ad undas,
Illustrans radiis ima profunda suis?
Fallor? an & NICER buc sinuoso tramite flectit,
Atq; Palatinas advehit almus opes?
Alluit an NICRO concors MOLDAVIA dives,
Atq; Bohemorum sislit amœnus HERUM?
O FRIDERICUS adest, Rex maximus optimus ille!
Cui paucos vidit Patria nostra pares.
Illa suos Reges extollant flumina, & illa;
Hunc ferar in REGEM, dum mihi gutta super.

Allusio ad Nomen.
FRIDEHRRICHI REGIS BOHEMIÆ
GRATIOSISSIMI.

Imperio, FRIDERICE, tuo, populog; frequenti,
Sunt tria, quæ spondent nominis orsa tui.
Est Pax, est & Honor, plenog; opulentia cornu,
Gratius haut quidquam quævis vagus Orbis habet.
O te felicem triplicato hoc munere Regem!
Quo populis poteris complacuisse tuis.
O Pax concordēs sic adserat aurea Cives!
Et fuget à terris bella cruenta tuis.
Sic Honor & Virtus, & honestas publica crescat;
Sic pietatis amor, sic probitatis epos.
Sic tellus sua farra ferat, sua germina campus,
Atq; suis tua ovet gens opulenta bonis.

Sic

Sic populus tecum felici hoc nomine gaudens,
Pacis, honoris, opum munere dives erit.

FRIDERICO I. REGI BOHEMIÆ
VERE AUGUSTO.

Augustum quis te, REX inclute, dicere nolit,
Cui nihil, augustum ni, pia fata ferunt?
Augusto satus es proavorum stemmate REGUM;
Et satus Augusti mensis es in medio.
Augusta virtute nites & robore mentis;
Augusti hinc REGIS Filia Sponsa data est.
Augusto quoq; mense tibi, nil tale volenti.
Augustum solium terra Bohema datat.
O sic Augustus tibi nomina mensis honorum
Plura det, augustis porro beetq; bonis.
O minor, Augustos superabis fortiter omnes;
Augustog; cluens nomine, plura feres.

AD
FRIDERICUM I. REGEM BOHEMIÆ
SAPIENTISSIMUM.

NON Helice sic monstrat iter, Cynosuraq; fulgens,
Navita quum dubiis per mare fertur equis;
Ut varias rerum facies Sapientia Regis
Ponderat, & cautâ cum ratione regit.
Fascinat hunc praeceps Audacia ad improba facta:
Huncce suum ad genium dira Libido trahit.
Perfrictam vibrat huic Petulantia perdita mentem:
Huic comes it variis Fraus adoperta dolis.
Exoculat mentes hominum Phlegetontia Circe,
Atq; agere hunc aliud, hunc aliudq; jubet.
Omnibus in vitium mens prona est atq; voluntas,
Pro lubitu & Notus ut, quâ data porta, ruunt.

B

A tot

A tot monstrorum latebris quis monstret abire,
Nī Sophia huic ductrix praeiit arte suā.
Tu multis, FRIDERICE, aliis Rex Regibus antēis,
Qui Sophia ductu dux praeis ipse tuis.
Hinc Eris, hinc Ate, Furor hinc, hinc Martia Mola
Exsulum à regnis quarit, habetq; tuis.
Pax contrā alarum sub tegmine sancta tuarum,
Cumq; Fide Pietas religiosa viget.

IN
REGNI BOHEMIÆ
INSIGNIA,

Gens Aquilis gavisā nigris Bojema tot annos,
Mavortī sternens obvia quaq; manu:
Desertis Aquilis tandem gavisā Leone,
Candidus in rubro qui saliebat agro.
Non satis unus at hic: Leo jungitur ecce Leoni,
Par Candore velut, sic animiq; bonis.
Caruleo in clypeo celestia hic ense tuetur,
Sanguine dum reliquas ille tuetur opes.
Ha benē! conjunctis ubi agent sic omnia nervis,
Dic, Boemos contra quā ferat arma manus?

IN
LEONEM BOHEMICUM.
Conclusum spinis Czechicum triciq; Leonem
Et misere arctatum fraudibus atq; dolis,
Vidit ut, indoluit LEO Nicri flumina propter,
Adflucto meditans, ritē vocatus, opem.
Saucius occurrit Medico Leo, membra, Leoni,
Ostentans scævā vulnera facta manu.
Obligat ille isthac, suaviq; malagmate mulcens,
Obligat imperio membra levanda suo.

Ite

10
Ite fera, procul ite, pio male-tuta Leoni
Pectora, & Hispani jugera adite soli.
Frustra unum contrā qui protulit arma Leonem,
Cum duplici frustra bella Leone geret.

DE PALATINI ET BOHEMICI

Leonis felicissimo conjugio.

SE Czechico jungens sociali jure Leoni
Ille Palatini Duxq; Leoq; soli,
Impedit auratā se juxtā, illumq; catenā,
Et non solvendam datq; capitq; fidem.
Vix corpus coit par istud nobile in unum,
Fatibus ut turgent atria plena novis.
Justitia hinc prodit librā gladioq; decora,
Jure malos cogens, jure juvansq; bonos.
Hinc niveis Pax dulcis equis, oleaq; virente;
Aurea Libertas hinc, & avita Fides.
Religio suppressa diu, Verumq; verendum
Sustollunt niveas, conjugio hocce, comas.
Boemo - Palatinus sic ō Leo porro vigescat,
Hostibus à victis latā trophæa ferens!
Invidia angvinos motetq; trahatq; capillos,
Et vomat iratas perditō ab ore minas.
Qui parili junxit geminos ardore Leones,
Adferet adversus qualibet ausa, DEUS.

AD FRIDERICUM I. REGEM BOHEMIÆ,
HEROA MAGNANIMUM, FORTISSIMUM,
piissimum.

Magnanimum quis te, REX maxime, dicere nolit?
Quis fortem nolit dicere? quis vè pium?
Magnanimis firmā te mente Leonibus aquas:
Præ reliquis isti robore nempe valent.

B 2

Quat-

Quattuor illorum tibi junctis viribus adstant,
 Inq; tuum cœunt mutuo amore bonum.
 Inde Palatino Leo se Anglicus ille Leoni
 Ob thalami jungit pacta secunda tui.
 Belgicus hinc sociis Leo subvenit impiger armis,
 Nassovianæ Principis ausa sequens.
 Bojemum miserè arctatum Deus ipse Leonem
 Excitat, atq; tuam quarere cogit opem.
 O fortem verè te tanto hoc robore Regem!
 Quamquam plura tuam hanc ops juvet undiq; opem.
 At Deus inprimis, cui fido pectore adharens,
 Ejus ab auxilio nomina prima capis.
 Adferat hic Regnumq; tuum, populumq; dicatum,
 Inter & hostiles protegat ipse manus.
 Hoc tutore Leo frustra est, qui tartara servat,
 Rugiat ut, nostra perditionis avens.
 Ille Tribus Jude Leo & hunc, & tartara vicit:
 Ille Leonum ardens porro juvabit opus.
 Qui pugnant isthoc Victore Leone Leones,
 His Leo dis armis nescit obesse suis.

Illustrissimo ac Celsissimo Principi

ac Domino, DN.

HENRICO FRIDERICO, FRIDERICI
 Regis Bohemiæ, Filio, Comiti Palatino
 Rheni, Duci Bavarix, &c.

E Dite regali Britonum de sanguine, avita
 Virtutis Specimen, Religionis amor;
 HENRICE ò FRIDERICE, novum Patris incrementum!
 Regia ò & Matris, Regii Aviç, decus!
 Qualis in Ascanio fuit olim cura parentis,
 Lingveret ut Domino Troica regna nova:

B2

In te nunc talis FRIDERICI est cura Parentis,
 Sumit ubi regni sceptrum verenda novi.
 Hinc Spectatorem Virtutum nempe suarum
 Te lateri jungit per loca multa suo,
 O te felicem tanti ducis herclè sequentem!
 Quem niveis olim fama sequetur equis.
 Sic Patrem Regem, Regem comiteris Avumq;
 Ut genere augusto, sic geniç, bonis.
 Dispeream, si non regnis te sistet avitis,
 Qui patriis factis sistit, Iova potens.

Illustrissimo ac Celsissimo Principi

ac Domino, DN.

PHILIPPO LUDOVICO, COMITI
 Palatino Rheni, Duci Bavarix, &c.

CLara comes Fratri FRIDERICO mania Breslæ
 Dum faustà ingrederis, Dux LUDOVICE, viâ;
 Ecce trias Charitum, Musarum terna triasq;
 Adplaudunt junctis, Numina amica, modis.
 O salve nostris hospes gratissime terris!
 Et vultus recrea nos gravitate tui.
 Nempe faves nostris pacis ceu tempore castris,
 Tempore sic belli commoda nostra foves.
 Aclamat Pallas, reliquis sua vota ministrans:
 BRESLA novum numen Matris & artis habet.

Illustrissimo ac Celsissimo Principi

ac Domino, DN.

CHRISTIANO, DUCI ANHALTINO
 Comiti Ascaniæ, &c. Sac. Reg. Majest. Regni
 Bohemiæ, & incorporatarum Regionum Generali, &c.

ET Tu igitur Regi FRIDERICO fidus Achates
 Visis ad Elysi dulcia rura soli,

B3

Scirp

*Stirpis Anhaltina Sol famifer, inclute Princeps ?
 Ascania o potior luciditatis Atlas !
 O quam te magnum Divo cum Rege Dynastam,
 Cernere jamdudum nostra BUDORGIS avert !
 Scilicet instructum tantis te dotibus effert
 Illa volans vasti per loca fama soli,
 Ut similem forsan tibi nominare quis auset,
 Mente animi nequeat nominare parem.
 Non mihi sumo tuas curto dare carmine laudes ;
 Nec satis in laudes est mea Musa tuas.
 Hoc tamen & Livor, nolit, velit, ipse fatetur,
 Supra homines donis te procul ire tuis.
 Nempe simul pacis promotor nobilis audis,
 Hinc Pacis Diti Dis ades ipse Duci :
 Et res quum belli gladiis peragenda cruentis,
 Mente Leonina praelia dira subis.
 Pro patria inprimis, & Religionis honore
 Illustre haut fugitas opposuisse latus.
 Bojemi hinc Proceres, unitaq; federe regna
 Te Generale sibi constituere Caput.
 O nove Mars nostris salve, Dux inclute, terris !
 Atq; tuo tremulas ense tuere domos.
 Sterne, fuga, Regi qui jurant bella potenti :
 Pelle, neca regnis hostica corda piis.
 Sic pia Religio tibi se adpronabit amœnè,
 Inq; ibit laudes Musica turba tuas.
 Sic vive, o Princeps, sic vince, salutifer, hostes !
 Sic faveant meritis JOVAq; , REXq; tuis.*

Illustrissimo ac Celsissimo Principi

ac Domino, DN.

FRIDER.

10
 FRIDERICO DUCI SAXONIÆ, JULIÆ,
 Cliviæ & Montium, Landgravio Thuringiæ,
 Marchioni Misniæ, &c.

*Te quoq; Saxonica germen pranobile RUTÆ,
 Inclute Dux, Musis viso adeoq; meis.
 Mœnia dum BRESLÆ dio cum Rege salutas,
 Atq; Ducum comes is, Dux Generose, choro.
 Salve hospes nostris, salve optatissime, terris,
 Illustrans radius regia sceptris tuis.
 Te WITEKINDEÆ virtutis amabile sidus.
 Indigitat celebri jam pia fama notâ.
 Te FRIDERICORUM proavorum gesta decora
 Estimulant similis laudis inire viam.
 Saxonica RUTÆ se florida brachia tollunt,
 Et sperant meritis nomina avita tuis.
 Sic faxit DEUS, atq; DEO sic auspice faxis,
 FRIDRICI Regis, Dux FRIDERICE, comes.
 Sic, FRIDERICIADÆ, sancta pia numina pacis,
 Dirigite in pacis publica cuncta bonum.
 Si reboans Satanas protrudat Erinnyas Orco,
 Et furiis quærat vertere cuncta suis ;
 Viribus unitis vos contra audentiùs ite,
 Vimq; omnem à patriis vi removete focis.
 Injustum contra justis qui militat armis,
 Ille DEO tandem Vindice Victar ouat.*

Illustrissimo ac Celsissimo Principi

ac Domino, DN.

CHRISTIANO, CHRISTIANI FIL.
 Principi Anhaltino, Comiti Ascaniæ, &c.

CHRIST-JANÆ Natum Te, Dux CHRIST-JANÆ, parentis
 Insimul & Musis jurè saluto meis ;

Regia

Regia dum BRESLĀM vestigia ponē secutus
Fausta jubes votis esse agitanda tuis.
Audiat Omnipotens, & Regia gesta secundet,
Ejus ut in laudes, & bona Patria cant.
Audiat Omnipotens & me pia vota ferentem,
(Vota referre tibi mens mea quippe jubet.)
Ut Virtute tuā, meritisq; ingentibus auctus
Lumen Apbaltina sis columenq; domus.
Marspiter hoc spondet, Jovis ortaq; Diva cerebro,
Ille suis armis, artibus ista suis.
Dux praeit Genitor Celsissimus, inclutus Heros,
Quemq; stupet Mavors, quemq; Minerva stupet.
Sed tibi jam Laurum Pallas, niveasq; quadrigas
Mars sacrat: adplaudit Gloria; Fama probat.

Ad Illustrissimos ac Genero-
fissimos

REGNI BOHEMIÆ PROCERES.

Pro vestro dum fida fero FRIDERICIDE vota,
Qui vestria datus est Rexq; Paterq; focis,
Vos Proceres Regni, patria pia pectora terra,
Addecet & votis participare meis.
O passi mala multa malis à Civibus antè,
Quos rexit technis Papa Satang; suis;
Nunc tandem vosmet rebus servate secundis,
Sperantes vestro prosperiora solo.
Nomine quod REX hic, id percipit esse reapse;
Ardentes alii dum modò pacis erunt.
Bella tamen, si bella volent Eris improba & Ate,
Non renuet gladio continuare suo.
Mens infracta, manus sceleratos fortis in hostes,
Auspice suscipiet praelia quaq; DEO.

Mens

10
Mens invicta, manus nulli cessura tyranno,
Vindice vincet item praelia quaq; DEO.
Sed tu JOVA potens, tu pacis amabile Numen,
Adfere o! & Regem, quaso, tucre novum.
Da pacem; qui bella volunt, contunde potentes,
Et Dominum populi te perbibeto tui.
Sic nomen, roburq; tuum, virtusq; vigeunt,
Et gentes inter laus tua perpes erit.

Perillustri ac verè Generoso Heroi

ac Domino, DN.

HENRICO MATTHÆO COMITI

à THURN, in Welisch & Loschdorff, &c.

S. Reg. Majest. Consiliario, Burggravio

Carlsteinensi, & Marchionatus

Moraviae Generali.

Tu velut è turri spectans discrimina mille,
Nominis ostentas sensa profunda tui;
Illustris COMES, arata Dux inclute turma,
Pro Bojis alacri qua gerit arma manu.
Scilicet effusi tot sanguinis imbribus antè
Debuit acquiri Religionis opus.
JOVA det, ut vestro superatis hostibus ausu
Explicet auratas illa subinde comas.
Sic spondet celum, FRIDERICO regna tenente,
Quem DEUS adfluctis cœtibus ipse tulit.
Inclute perge COMES justumq; piumq; tueri,
Et Patria fidam da, velut ante, fidem.
Ominor hoc omen; de turribus efferet altis
Momina promeriti vivida fama tui.

C

Per-

Perillustri, Generoso & Magnanimo

Heroi ac Domino, DN.

ERNESTO COMITI à MANSFELD,
Domino in Heldringen., Ducis Sabaudia
Super exercitu Germanico Gene-
rali, &c.

IPSE COMES DE SE.

Ringere cum Papà, medio qui vertice rufus:
Nostrà PILSENA est firma subacta manu.

Virgo fuit semper, media tamen illa dies
Parte, suà turgens virginitate labat.
Victa jacet; Campi Vir sum, Victorq., novelli:
In gremii medio Virginis hujus ovo.

Perillustri ac Generosissimo Heroi

ac Domino, DN.

JOHANNI ALBERTO COMITI
à SOLMS, &c. Camerario & Supremo
Aulæ Bohemo-Regiæ Præfecto.

Qui comes invictum sequeris, Comes inclute, Regem,
Et sanctum munis corpore & ense latus;
En tibi, quæ Divo malè-comia carmina Regi
Et Vatis pietas, & dare jussit amor.
Ingressus Regis felix fiet, atq. regressus:
Sit tuus hic talis, sit reliquæq. manus.
Mitescant dio qui Regi extrema minantur,
Aut pereant vestra perdita corda manu.
Hæc animi mens una mei est, hæc clausula voti:
Firmet id, atq. tuam firmet Iova manum.

Illustri

10
Illustri ac Generoso Domino,

DN. WENCESLAO WILHELMO LIB.
Baroni à Ruppavv in Ternovano & Zitenitz,
Supremo Regni Bohemiæ Camerario
& Cancellario.

Dante hominum turbâ tibi, Cancellarie, libros,
Quæis caussa promunt subdita sensa sua;
Unde ego te tenui numerorum fasce saluto,
Quem REGI visum est exhibuisse pio.
Nempe inter gravium molimina grandia rerum,
Tu quoq. Musarum volvere sacra soles.
Fac irâ, Vir Generose, measq. admitte Caménas,
Quæ nil, ni REGI dant pia vota novo.
Supplicibus possem tibi probra referre libellis,
Quæ peperit sanctæ Religionis amor.
Sed curis tot parco tuis, quas publica caussant,
Atq. mea caussa nomina credo DEO.
Injustum justo dubiè - haut is puniet omne
Tempore, & adstrictos adseret ipse suos.
Hoc itâ dum voceo, simul & tibi comprecor isthoc,
Bojemi ut Regni sis Cynosura diu.

Illustri ac Generoso Domino

DN. CHRISTOPHORO BURGGRAVIO
à Dohna, &c. Serenissimi Regis Bohemiæ
Consiliario intimo & Camerario.

DOHNAVE antiquo majorum sanguine clare,
Artis o & fame clare nitore tua!
Quàm vorvet, & votis iterumq. solutis
Poscit inoblitis Patria fessa malis!
Ut post exactos pluviosi temporis imbres
Rideat auricomis Phœbus ab axe comis.

C 2

ut

Ut post adflicta patriæ res, auspice CHRISTO,
FRIDRICUS nobis Rex fiet atq; Pater.
At bene! jo rutilus rediit post nubila Phæbus:
Rex, Pater & Tutor jò FRIDERICUS adest!
Exsulum bello Paxalma minatur & armis,
Spesq; animos dulci firma quiete fovet.
Sic Regi fiat, Regnis sic fiat aviris:
Sic fiet votis sat, BARO magne, meis.

Illustri ac Generoso Domino,
DN. ABRAHAMO BURGGRAVIO à DOHNA, &c.
Electoris Brandenburgici Consiliario intumo,
Ejusdemq; uti & Principum ac Statuum
Silesiæ militiæ Equestris duorum
millium doctori summo.

Vetus equo Rex dius adest, DONAVE Dynasta,
Cujus ob adventum SLESIAS omnis ovat.
Sancta Fides, hilaris Clementia, cauta potestas,
Sacrum præcingunt indeq; & inde latus.
Hinc sperant omnes & corde piente precantur,
Vernet ut hoc tanto Præsidi dia Salus.
His ipsis votis mea Musa operosior instans,
Et sua de voto pectore vota dedit.
Audiat hac Regum Reclor, Rex ipse JEHOVA!
Tu verò huic tenui, quæso, faveto lyra.

Magnifico ac Nobilissimo Viro,
DN. PETRO MULLERO d. MÜHLHAUSEN,
Regni Bohemiæ Vice-Cancellario, &c.

Quod multi jactant, atavorum nomina tute,
Et generis recitas ordia jure bono.
Quod pauci meruere, tuâ Virtute nitescens
Majorum exauges nomina honore novo.

Non

10
Non frustra sunt visa tibi tot regna, tot Urbes;
Non frustra, linguas tot didicisse, fuit.
Non frustra coluisse DEUM pietate, tulisse
Auxilium patriæ, consiliumq; fuit.
Hoc tanto inprimis furiundi turbine mundi,
Nulla ubi Religio, nulla ubi panè fides.
His meritis meritus Patriota es deigma fidelis,
Et fidei data sunt munia summa tua.
Regni Bœmiaci Vice-Cancellarius audis,
Et genio versas quæq; profunda tuo.
Dexteritas, Candor, multa experientia rerum
Te Regi & Patria jungit amore tua.
Sic verna, MÜLNERE, diu, sic fortiter urge,
In Patria & Regis quæ valitura bonum.
Sic tibi, sic generi magmenta parabis avito:
Sic recinet laudes publica fama tuas.

Admodum Reverendo & Celeberrimo
Viro DN.

DAVID PAREO SS. Theol. D.
Professori ac Seniori in Illustri
Academiâ Heidelbergensi.

Sit felix, faustumq; precor, Reverende PAREE!
Bojemus datus est Rex FRIDERICUS agris.
Si bene cum regnis agitur, testante Platone,
Quis Rex aut Sophus est, aut Sophia alma colens;
Næ bene Bojemis, Moravisq; erit atq; Silesis,
Et quot præterea federa sancta ligant.
Nempe supra Sophiam longè Rex maximus auctus
Nomine Theiosophi dicier herclè meret.
O vivat, vigeat FRIDERICUS & augmina sumat!
Spondet ea illustris mens, geniusq; potens.

C 2

Nobi-

Nobilissimo & Consultissimo

Viro,

DN. LUDOVICO CAMERARIO J. U. D.
Sac. Reg. Majest. Consiliario intumo, & in
Electratu Palatino Vice- Cancellario.

Pixide depromsit Pandora Juppiter omne,
Ingeniūq; tholo contulit omne tui,
Fax Camerariadum, nostri Svada altera secli!
Panfophia o columen! lumen o Euepia!
Inde Palatina Vice- Cancellarius Aula,
FRIDERICO hoc ipsum sic statuente, cluis.
Scilicet in regni curas es providus omnes,
Et genio trutinas, quæ peragenda, cato.
Perge tuis his consiliis, tuo acumine dio,
Multorumq; diu vive, valeq; bono.
Sic Rex FRIDRICUS, sic ampla BOHEMIA vernet:
Sic Pax, sic latâ Gratia surgat ave.
Sic vireant Musæ, sic jura forumq; vigescant;
Sic pia Religio crescat, & alma Fides.

Magnifico & Consultissimo

Viro,

Dn. TOBIÆ de Schwanensee & Brego-
schitz, cogn. SCULTETO, Hereditario in Hirschfeldâ,
II. Augusti S. Cæs. Consiliario & Commissario,
Comiti Sacri Palatii, Regii per Silesiam
infer. Fisci Patrono & JC.

Gratia sit JOVÆ! Meditrinâ operante recessit,
Imitus excrucians nocte dieq; dolor;
Magne Virum, quos Slesis habet, quos extera norunt
Lumina, Pierisin concelebrantq; suis.

Scilicet

10
Scilicet interiūs renalis Erinny's agebat,
Nec dabat aut somno, siue quiete frui.
Corporis hinc vires abiēre dolore soluta,
Et tremulus cordis spiritus intus erat.
Hostis at (o JOVÆ sit laus!) deserviit omnis,
Pristinus & membris perstat, ut ante, vigor.
Sospitet o longum superâ te JOVA salute!
Quâ sine nil certè est omnis in orbe salus.
Sospitet, & dio sic porrò superstitet Hamo,
Gaudeat ut donis Musica turba tuis.
Sed, SCULTETE, novo tibi quid de Rege videtur,
Quem Pacis ditem bella cruenta vovent?
Bella bonos Moravos quæ nunc, miserosq; Bohemos
Et trucibus flammis, & rigido ense necant?
O ferat adflētis, ferat o FRIDERICUS anbelis
Optata dudum nobile pacis opus!
Illius in laudes sic dia Pœsis abibit,
Et vegeta inscribet facta notanda Cedro.
Tu dux præcedes doctas, & Apollo, Camēnas:
Ponè sequar reliquas ultima Musa deas.
Sic cum Rege novo veniant nova gaudia pacis,
Priscæq; cum diâ Religione Fides.
Sic tibi firma salus, Regi benedictio JOVÆ
Adfluat, & nobis vita quieta domi.

Reverendo atq; Excellentissimo

Viro,

DN. ABRAHAMO SCULTETO SS. Theol. D.
Sac. Reg. Majest. in Regno Bohemiæ ab
Aulicis Concionibus.

MOEnalii, puto, te talaribus alitis uti,
SCULTETE o sanctæ Religionis honor!

Sic

Sic Itbaci in morem nunc huc, nunc diditus illur,
 Diversas Orbis visis, adisq; plagas.
 Nondum solis equi peragrarunt sidera celi,
 Belgica quum tempe cura videre fuit.
 Quum Dordracena Synodi, pars optima Patrum,
 Juvisti eximium Religionis opus.
 Arminianei dum somnia vana furoris
 Turbarunt reliqui dogmata sancta gregis.
 Te reducem excepit dum vix Myrtillifer Atlas,
 Et cupiit genii crescere dote tui;
 Ecce Bohemorum Procerum selectius agmen
 FRIDRICO tribuit sceptrum verenda Duci.
 Obsequitur, sequiturq; DEI mens regia ductum,
 Et pressis miseris fert miseratus opem.
 Tu quoq; quo pia fata trahunt, SCULTETE, secutus,
 Magnanimi Regis ponè capeſſis iter.
 Sic, quem mirata est hoc anno Belgia fortis,
 Nunc stupet, & Mystam Regia Praga colit.
 O te Dulichio majorem, dulcis Amice,
 Quid causa est iteris dignior ista tui.
 Vive novamq; tuis Spartam virtutibus orna,
 Quaq; soles, fidâ rem fidei fide age.
 Ringantur, sequius quibus est à Biblide pectus:
 Vani illi in fano, dum tibi fama solo.

NobiliS°. AmpliS°. atq; AmabiliS°.

Sponsorum Viduorum pari.

DN°. CHRISTOPHORO ab OLHAVEN
 & Schellenbach, Hereditario in Protſch
 & Weida; ac

DNæ. JUDITHÆ SIMMERIÆ
 à Simmersampff/ Dñæ in Cunavv.

Dum

10
 Dum doctas rogo pro FRIDERICO Rege Camônas,
 Ut numeris abeant in nova vota suis;
 En simul & pharetratus Amor mihi vellicat aurem,
 Sollicitatq; meas ad sua sacra deas.
 OLHAFLIO OLEI flagrantis amabilis OLLA!
 Accendit flammis quod Venus ipsa suis.
 Illa Venus, quam SIMMERIA de gente subortam
 Fovit inantè suo copula Koa sinu.
 Illa Venus, Venerem quæ formâ vincere possit:
 Vincere quæ possit mente Cerebrigenam.
 Illa cui Juno cedat gravitate decori;
 Illa cui Charitum cedat amica Trâs.
 Mars ei sis; sis Phœbas ei; sis Juppiter alter;
 Sis, gratum Chariti quod queat esse tue.
 Quin tibi sit, quod Penelope fuit uxor Ulyſſi;
 Alceſti Admetus quod fuit, esto ta ei.
 Quam felix Regi FRIDERICO spondeo Regnum,
 Tam tibi felicem, Sponse, perapto torum.
 Faxit utrumq; DEUS! quin faxit & insuper isthoc,
 Ut, Regi & Vobis qui malè vult, pereat.

NobiliS°. & ConsultiS°. Viro,

DN. PAULO SLEUPNERO J. U. D.

Illustrissimi Principis Oppavienſis
 Consiliario.

ET non latemur, SLEUPNERE, Vir optime, Frater
 Candide, dum plausu solvitur omne pio?
 Rex FRIDERICUS adest! jo! Rex FRIDERICUS! avorū
 Par meritis, similis Religionis Patrum.
 Cui caput adpronat Virtutum tota Corona:
 Cui prona ad quævis cum Sophiâ ipsa Sais.
 Quem Phœbi alterius vice Musica turba salutat,
 Ejus ab auspicio prospera quaq; dovens.

D

Cui

Cui Candor, cui cana Fides, cui pristina Honestas
Se flexe sistunt poplite, opemq; petunt.
Religio inprimis adapertâ pectoris arcâ
Amoto spirat libera colla jugo.
Et non latemur, SLEUPNERE, Vir optime, Frater
Candide, dum plausu solvitur omne pio?

Nobilissimo atq; Amplissimo

Viro,

DN. STEPHANO JESSENSKY
de magnâ Jessen, in Syrdanigk,
Compatri honoratissimo.

JESSENI Eugenia generosa suavis Ocellæ,
Cui comes is Virtus antè, retroq; decus:
En etiam Regi devota melismata nostro,
Quæ scribi pietas iussit & obsequium.
Hæc rata si non sunt à se; rata sunt tamen inde,
Quod cum permultis opto precorq; piis.
Quod nequeunt multi, possunt feliciter omnes:
Sunt accepta bono talia vota DEO.

Nobilis°. atq; ExperientiS°. Viro,

DN. CHRISTIANO RUMPF Phil. &
Med. D. Serenissimi Regis Bohemiæ,
FRIDERICI I. Archiatro.

RUMPMI Pæoniâ Consultor nobilis arte;
RUMPMI Pansophia nobilis arte tua:
Quàm te cum nostro SCULTETO cernere coram,
Et manus fidam jungere sumo manum:
Dum Divi Archiater FRIDERICI mœnia BRESLÆ
Ingredere, ô summis mœnia grata Viris!

Regis

Regis ô adventus sit felicissimus, opto!
Integer & Regis sic Comitatus eat.
Dia Satus illum, Te, sospitet usq;, Magistro,
Omnimodaq; diu commoditate bect.
Ejus ut alarum nobis residere sub umbrâ,
Et gratâ liceat porro quiete frui.
Sic Regi voveo; tibi sic, Celeberrime RUMPMI,
Rege diu salvo salvus ut esse queas.

ClariS°. ac DoctiS°. Viro,

DN. JOHANNI GEORGIO PAREO
Illustrissimi Principis PHILIPPI LUDOVICI,
Comitis Palatini Rhæni, &c.
Achatî & Ephoro.

ERGO loco Patris te, docte PAREE, PAREI,
Excipere & letum dicere AVE licitum est?
Dum Divi Regis divo cum Fratre BUDORGIN,
Illam animam Elysi visis, adisq; soli.
Quàm mallem, tecum venerabilem adesse parentem,
Canitiæq; avidum me recreare piâ,
Jam tria decursis abierunt lustra diebus,
Et quartum celeri nunc pede currit iter.
Quum Myrtilli ferâ coram mihi in urbe tueri,
Atq; datum manui consociasse manum.
O quàm dulce mihi vultus meminisse verendi!
Colloqvii, gratum quàm meminisse pii.
Vivat ô hoc tanto sacrarum turbine rerum,
Et tetricum infringat Leviathanis opus.
Tu verò Patris exemplo, Fratrisq; Philippi,
Insere me cordi, JANE GEORGE, tuo.
Sic facito, sic me tui amantem crede vicissim:
Qui Patris & Fratris sum tui, erog; tuus.

D a

Super

Super Obitu
INVICTISSIMI ROMANOR.
IMPERATORIS.
DIVI MATTHIÆ Hungariæ &
Bohemix Regis, &c.

O Et tu MATTHIA cadens, fortissime Caesar,
Deseris imperii sceptrum verenda tui?

Dum Bellona suis furit exitiosa quadrigis,
Ac miserum gladius vastat & igne solum?

Dum Turcis æquanda manus, trucibusq; tyrannis
Pingves Bæmorum depopulatur agros?

Et trepidas matres perimit, timidæq; puellas;
Neve infantilibus parcere gnara labris.

O DEUS! in qua nos servasti tempora? nosmet
Dum nostri similes ense rotæq; petunt.

At tu MATTHIA, pacisq; adsertor & altor,
Quomodo Imperii spes, Patriæq; Pater!

E mediis turmis ad gaudia pacis amœna
Tendens, in curis nos lacrumisq; sinis

Expertes Capitis, metuentes vel Caput ipsum,
Mens tibi quod nobis lingvere velle fuit.

Scilicet inflammat mitem sic Loyola Regem,
Nolit uti pacem, quam velit hæreticos.

Pax tibi, qui pacem voluisti, sit super axe,
Dum Mars, dum Mors nos ferreâ Eriunty agitat.

Quem penes imperium est, jam metam JOVA furori
Constituens, cæcis adseret ipse suos.

Celum nos paci reddet, si terra negabit:
Talia Celicolæ fata manere solent.

AD

AD
JESUM CHRISTUM
Adsertorem suum unicum.

Cor altare meum est; tu Lumen es, optime JESU:
Templum itidem cor est; tuq; in eo effigies.
Et tamen effigies, altaria, lumina, templa
Spernere me, Livor perniciosus ait.
Livor abito: mihi tu Lumen es, effigiesq;
O ara! ô templum sim tibi porro, dato.

IN LUNÆ DELIQUIUM ET QUATUOR
Parcelia.

Deliquium Lune ratio quid vana moraris?
Miraris Soles bis- quid eapse duos?

Opposuit Soli se terrea massa JOVÆO,
Lunares satagens obtenebrare faces.

Bis bini Soles contrâ emicuere, suosq;
Terrenis radios exhibuere oculis.

Desine mirari Soles, Lunæq; morari
Deliquium, vani momina vana soli.

Libera Luna micat; Sol unus splendet Olympo:
Rex en nunc multis sufficit unus agris.

AD DEUM
De Clymactere suo Septimo, quem
9. Octobr. A. 1619. Auctor (ô feliciter!)
est exorsus.

Clymacter, DEUS alme, mei jam septimus ævi
Incipit; auspicio fiat ô, opto, bono!

Si superare voles annum me forsan & istum
In laudes abeat, da DEUS, oro, tuas.

Sin iter at carnis me jusseris ire caduce,
Velle etiam admittam mente piente tuum.

Sen

Seu vivam, moriarve, tui sum portio Nati,
Retribuit vitam qui mihi morte sua.
Natus ubi, qui natus homo pro crimine mundi,
Post vitam hanc vitam celite fungar ibi.
Interea natos, mihi quos, Pater alme, dedisti,
Commendo cura cum genitrice tua.
Immemor esse sui mater queat improba nati;
Verna tute nequis immemor esse tui.

ANTE OMNIA JESUS.

Si nihil hac mundi sunt omnia, ut omnia sunt nil;
Et nihilo ut facta hac, inq. abitura nihil;
Quid nihil hoc querendo ita te, mens vana, fatigas,
Et cupide, hoc babeas quod nihil, omne moves.
Omnia quod capias, cupias ante omnia Jesum:
Unus hic omnia dat; omnia hic unus habet.

MIHI OMNIA JESUS.

Omnia si Jesus mihi, Jesus ut omnia verè est,
Quid nihil hei miserum querere, Munde, jubes?
Omnia nil tua sunt: sine nam sunt omnia Jesu,
Et nihilo hac fecit qui omnia, quæ antè nihil.
Omnia quæ tua sunt, desunt: est omnia Jesus:
Omnia Jesus erat; omnia Jesus erit.

DOMINE UT VIDEAM.

Oculos animi penitus mihi lucis inanes!
Luce suâ ut quavis posse videre putent.
Non video, fidei quæ sunt; video tamen unum hoc,
Me fidei absq. oculis posse videre nihil.
Tu DOMINE, ut videam, fidei mihi subde lucernam:
Omnia enim ut videam, sufficit una fides.

SURSUM

SURSUM CORDA.

Nam quid hic Orbis, & omne quod hoc specularis in Orbe;
Ut mirum artificis sit sapientis opus?
Est fragile, est vanum, fallaxq. fugaxq. nec ex se
Auxiliatricem quit tribuisse manum.
Cor sursum, mens cæca, levans inquire magistrum,
Quo sine nil factum est, quo stabile absq. nihil.
Omnia uti pereant, ut cuncta elementa liquecant,
Huc oculos vertens non perisse potest.

SCIO, CUI CREDIDI.

Credant mortales mortalibus, & sua credant,
Quos primo posuit Sors malefida loco.
Sit Caesar, Rex sit, sit Dux, sit deniq., quisquis
Humana pollet conditione rei.
His ego non credo; non his me credo: sed uni,
Qui supra humanam quitq. facitq. fidem.
Credidi ego, sed cui, scio vis? uno accipe verbo:
Extra quem non est credere, sed cadere.

FERO, VERO NIXUS.

Vera videns, & vera colens, & vera professus,
Quæ-sors-cung, jubet ferre ferenda fero.
Tu si pro Vero, Livor, me ferre recusas;
Eستا! feror, ferar ut; tu ferieris ubi.

DOMINI EST SALUS.

Mens mea, jam nosti, quid sit confidere mundo,
Dum te vana soli versat ubiq. Salus.
Nunc age, rejecta mundi spe, fide J E H O V A,
Et sperare polo disce salutis opus.
Crede mihi, si vana fuit spes illa salutis,
Ista tibi solida porta salutis eris.
Nam perfecta Salus J O V A promanat ab uno:
Hunc, mens, quære; Salus hic fuit, est, & erit.
ΤΕΩ ΘΕΩ ΜΟΝΩ ΔΟΞΑ.

OLSEN, Typis Börsenmeyerianis.



4 10
DE
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI, DN.

FRIDERICI I.

BOHEMIÆ REGIS, COMI-
tis Palatini Rheni,

*Sacr. Rom. Imperl Archidapiferi,
Electoris & Vicarii,*

Ducis & Marchionis

*Bavaria, Moravia, Silesia,
Lusatia,*

Patris Patriæ optatissimi,
fortissimi, fidissimi,
felicissimo

VRATISLAVIAM

*Silesia Metropolin
ingresu*

DECERMINA VOTIVA

CASPARIS CVNRADI

Phil. et Med. D.

BREGÆ Typis Casparis Sigfridi. A. C. clb lo C XX.

4E1, 214.